



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio prima. Vtrum o[mn]es personæ diuinę distinguantur per  
relationes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

9 ARGUMENTUM alterius partis posset con-  
cedi ratione conclusionis quantum ad hoc quod nomen per-  
sonae prout dicit rem non esse uniuocum in diuinis & in  
creaturis, assumit tamen quod nihil est commune uniuocum  
in his quae differunt, secundum genus generalissimum quod  
est verum de rebus, sed non de intentionibus, quia inter  
illa quae sunt in vno predicamento inuenitur similis ha-  
bitudo ad fundandum secundas intentiones, sicut inter  
illa quae sunt in alio predicamento ut dictum fuit de al-  
bedine respectu huius & illius albedinis, & de homine  
respectu huius & illius hominis, propter quod talibus con-  
ueniunt intentiones vnius rationis, scilicet esse speciem,  
& idem est de aliis intentionibus. Quaelibet etiam res di-  
citur uniuoce intellecta, quia esse intellectum non dicit  
circa obiectum rem, sed intentionem.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum persona sit aliquid commune in diuinis.

Tho. 1. q. 30. ar. 4.

SECUNDO quaeritur, vtrum persona sit aliquid  
commune in diuinis. Et videtur quod non, quia illud  
quod de ratione sua est incommunicabile non potest esse  
commune, sed de ratione personae est esse incommunicabile  
ut patet ex eius definitione, ergo &c.

2 IN CONTRARIUM est quod dicit beatus  
Augustinus, & habetur in littera.

3 RESPONSIO. Aliquid dicitur commune dupli-  
citer, vno modo secundum rem, quando eadem res secun-  
dum esse reale est in pluribus, & hoc modo sola essentia  
diuina est in diuinis communis tribus personis, & spiratio  
actiua est communis patri & filio. Et hoc modo persona non  
est aliquid commune, aut quia non dicit rem sed intentio-  
nem, ut quidam ponunt, aut quia si dicat rem, non dicit  
tamen vnam rem secundum numerum tantum, sed sicut  
indiuiduum vagum vt alii dicunt. Alio modo dicitur ali-  
quid commune secundum rationem eo modo quo vni-  
uersale est commune ad singularia sub ipso contenta, &  
hoc modo persona est aliquid commune in diuinis, & non  
solum persona, sed relatio, vtrumque enim dicitur de pluri-  
bus non secundum aliquid vnum numero reperiunt in ip-  
sis, sed sicut vniuersale de sub ipso contentis.

4 AD ARGUMENTUM dicendum quod res in-  
communicabilis non potest esse communis, sed intentio  
incommunicabilis bene potest esse communis, sicut dato  
quod fortes non sit comunicabilis, tamen intentio in-  
diuidui vel suppositi est pluribus communis, persona au-  
tem non significat rem incommunicabilem, sed intentio-  
nem incommunicabilitatis, Et ideo pluribus potest esse  
communis.

5 VTRUM autem tres personae possint dici tres res.  
Notandum quod ens & res idem penitus importat & de qui-  
buscunque vnum predicatur & alterum, conuertuntur enim  
in suppositis, & ideo quot modis dicitur vnum & alterum.  
Ens autem dicitur de substantia & reliquis predicamentis,  
per attributionem tamen ad substantiam quae est primum  
& per se ens. Et eodem modo dicitur res. Ens etiam per  
se sumptum sine determinatione (quatum est de commu-  
ni vni loquentium) sumitur ratum pro ente per se, id est  
pro substantia, licet forte de virtute sermonis esset semper  
distinguentium. Pro aliis autem fiat secundum conditio-  
nem determinationis adiunctae. Et idem est de nomine  
rei. Cum igitur quaeritur, vtrum tres personae possint di-  
ci tres res, dicendum quod secundum commune in odum  
loquendi non debet dici quod sunt tres res, ne intelligantur  
esse tres substantiae. De virtute autem sermonis esset  
distinguentia propositio, quia si accipitur res pro substan-  
tia, falsa esset. Si pro relatione vel habente relationem, ve-  
ra. Cum additione tamen semper concedendum tres per-  
sonas esse tres res relationas.

DISTINCTIO XXVI.

Sententia huius distinctionis in generali  
& speciali.

Nunc de proprietatibus personarum. Superius deter-  
minauit Magister de essentia & personis. Hic deter-  
minat de proprietatibus personarum quibus ad inuicem  
personae distinguuntur. Et diuiditur in duas. Primo deter-  
minat de proprietatibus quae sunt proprie personarum.

Secundo determinat de his quae appropriantur personis.  
Secunda pars incipit in principio. 31. dist. ibi. Praeterea con-  
siderari oportet. Prima diuiditur in duas. Primo deter-  
minat de proprietatibus personalibus. Secundo de pro-  
prietatibus quae non sunt personales dist. 23. ibi. Praeterea  
considerari oportet. Prima in duas. Primo determinat de  
proprietatibus personalibus secundum se. Secundo in con-  
paratione ad personas. Secunda in principio. 27. dist. ibi.  
Hic quaeri potest. Prima est praesentis lectionis. Et diuidi-  
tur in duas. Primo determinat de hypostasi quae proprie-  
tatibus subsistit sicut distinctum distinguenti. Secundo  
determinat de ipsis proprietatibus quibus hypostases dis-  
tinguuntur. Secunda ibi. Jam de proprietatibus. Haec se-  
cunda diuiditur in tres. Primo enim proprietates enume-  
rat. Secundo ostendit modum praedicandi earum. Terti-  
o remouet quandam dubitationem. Secunda ibi. Quo-  
circa sciendum. Tertia ibi. Hic quaeritur. Et haec vltima  
diuiditur in quatuor. Primo mouet dubitationem circa  
proprietatem filii. Secundo circa proprietatem spiri-  
san. pro significato nominis doni. Tertio pro significato no-  
minis spiritus sancti. Quarto excludit errorem. Secunda  
ibi. Et dicitur spiritus sancti. Tertia ibi. Hic quaeri po-  
test. Quarta ibi. Quidam tamen putauerunt. Haec est diui-  
sio lectionis in generali.

1 IN SPECIALI vero sic procedit, & praemittit  
primo quod nomine hypostasis si pro supposito subsistere ac-  
cipiatur communiter in diuinis vtritur. Sed quia haeretici  
accipiebant hypostasim pro essentia, catholici non liben-  
ter utebantur hoc vocabulo in primitiua ecclesia. Postea  
enumerat proprietates personales quae sunt gignere, gi-  
gni, & procedere. Et ab istis accipiuntur nomina persona-  
rum, vbi etiam dicit quod proprietates patris non est quod non sit  
natus, id est, innascibilitas, sed generare, proprietates etiam  
filii non est quod ipse non gignit, sed quod a patre generatur,  
& proprietates spiritus sancti non est quod non sit natus, nec ge-  
nuit, sed a patre & filio procedere, quibus proprietatibus  
personae ad inuicem referuntur, quae aliis nominibus di-  
cuntur paternitas, filiatio, & processio. Deinde ostendit  
modum praedicandi ipsarum proprietatum, & hoc quantum  
ad tria. Primo quia non praedicantur substantialiter sed re-  
latiue. Secundo quia non praedicantur accidentaliter. Terti-  
o quia non praedicantur temporaliter sed ab eterno, quod  
probat sic, Quod accidit & ex tempore inest, amitti po-  
test, & mutari, in Deo autem nihil amissibile vel mutabi-  
le esse potest. Postea obicit quod homines dicuntur esse  
filii Dei, ergo esse filium vel natum non est proprium filio  
Dei. Et respondet quod ipse nunquam fuit non filius, sicut homines  
quandoque non fuerunt filii Dei sed filii irae. Nec quicquam  
est in eo nisi filius quod non conuenit hominibus. Item  
ipse est filius naturali generatione non adoptione ut cre-  
atur, veritate non imitatione. Natiuitate non creatione,  
quae omnia nobis non conueniunt, vbi etiam subdit quod ho-  
mo est filius trinitatis causa creationis. Deinde subdit de  
proprietate spiritus sancti quae est donum quod relatiue dicitur.  
Spiritus enim sanctus donum dicitur ex naturali pro-  
prietate, & ex modo suae processiois non sicut aliqua do-  
na creata. Postea dicit quod nomen spiritus sancti relatiue di-  
citur, sed non proprie conuenit aliis personis de quibus di-  
citur distinctum. Secundum est quod cum dicitur de omnibus  
personis non dicitur relatiue, sed secundum substantiam. Deinde  
de excludit quandam obiectionem dicens quod non obstat quod  
spiritus sanctus non habet correlatiua correspondentia, quia  
multotiens non habet nomina determinata vtrique rela-  
tiuum. Haec est sententia in speciali.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum omnes personae diuine distinguantur  
per relationes.

Tho. 1. p. q. 40. ar. 2.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, vtrum om-  
nes personae diuine distinguantur per relationes. Et  
videtur quod non, quia nulla forma distinguit nisi secun-  
dum suum genus, sed persona, vel hypostasis importat in-  
diuiduum in genere substantiae ergo quoad esse personae  
le vel hypostaticum non fit distinctio per relationes.

Item prima distinctio debet fieri per prima entia, sed  
K a distina

distinctio personarum diuinarum est prima distinctio, absoluta verò sunt prima entia, ergo distinctio personarum debet fieri per absoluta & non per relationes quæ sunt posteriores absolutis.

3 IN CONTRARIUM est, quia illud quod est causa multiplicationis est causa distinctiois, sed ratio est causa multiplicationis personarum dicente Boetio libro de trinit. quod ratio multiplicat trinitatem, ergo est causa distinctiois.

4 RESPONSIO. Sciendum est quod non omnes personas distingui per relationes contingere possit dupliciter, vno modo si non omnes personæ essent relatiuæ, sed præter personæ relatiuæ quas ponit si les esset in diuinis aliqua personæ siue suppositum absolutum. Alio modo, si tantum essent res personæ relatiuæ, & non constituerentur per relationes sed per aliquid absolutum, quia per illud distinguerentur, & de vtroque est opinio. Si tamen dici debeat opinio & non error.

5 QVANTVM ad primum dicunt aliqui quod in diuinis præter personæ relatiuæ quas ponit si les, est suppositum absolutum aliquid, nec istud est contra determinationem ecclesiæ. Primum probant sic, bene sequitur Deus creat, ergo persona creat. Et est locus ab inferiori ad superius affirmando quod patet mutando prædicatum. Sequitur enim Deus est, ergo persona est. Sed non e converso, persona est, ergo Deus est, nisi gratia materia. Hoc autem non esset nisi persona esset in plus. Tunc arguitur ulterius ab inferiori ad superius tenet consequentia cum exclusione. Sequitur enim vnus solus homo currit, ergo vnus solus animal currit. Similiter sequitur vt videtur vnus solus Deus creat, ergo vna sola persona creat. Antecedens est verum, ergo & consequens. Sed consequens non potest esse verum pro aliqua persona relata, quia non solus pater creat nec solus filius, nec solus spiritus sanctus, ergo verificatur pro persona absoluta. Quod autem non sit contra determinationem ecclesiæ declarant, quia istud suppositum absolutum non ponit in numerum cum tribus, sed est commune tribus. Sicut & essentia ab aliis ponitur communis & non ponit in numerum cum eis, sed decretalis tantummodo negat quaternitatem siue quartam rem ponentem in numerum cum tribus personis, quod patet manifeste per textum, nam respondendo ad rationem Iohannis qui voluit concludere contra magistrum ex dicto proprio quod dicitur quod essentia nec generat, nec generatur, nec procedit, ergo non est pater, nec filius, nec spiritus sanctus, sed quarta res. Respondet papa quod non sequitur, quia ista res summa & si non generat vt pater, nec generatur, vt filius, nec spiratur vt spi. san. Est tamen pater & filius, & spi. san. & eodem modo potest dici de supposito absoluto.

6 Istud autem deficit in vtroque, quia non est suppositum absolutum ponere, & si poneretur poneret cum aliis in numerum. Primum patet, quia suppositum proprie dictum est quid subsistens, completum completionem vitam in natura illa, & est incommunicabile, sed in diuinis nullum absolutum potest esse tale, ergo nullum potest esse suppositum absolutum. Maior patet, per hoc enim suppositum differt a singulari & ab individuo, quia suppositum est illud quod subsistit per se (vnde natura humana in Christo non est suppositum, quia non per se subsistit.) Singulare autem & individuum dicuntur tam de per se subsistentibus quam de aliis. Item suppositum est completum vltima completionem potèntiali in illa natura. Importat enim quid completissimum propter quod significat vt habet non vt res habita est. Est etiam incommunicabile, quia suppositum est sic sub alio positum quod sub ipso non est aliud positum, omne autem quod est communicabile pluribus habet aliquid positum sub se, & ideo non est propriè & simpliciter suppositum, & sic patet quod suppositum includit illa tria, minor declaratur, quia licet de essentia diuina possit dici aliquo modo quod sit subsistens, tamen ipsa absolute sumpta non habet complementum vltimum possibile cum illud sit per relationem, vel ratio, nec fiat vis de nomine complementi, sed vocetur complementum vltimum formale, & hæc in diuinis est ratio & est incommunicabile pluribus, quare &c.

7 Secundum patet, scilicet quod si esse tale suppositum poneret cum aliis in numerum, quia quædo de aliquibus verum est dicere de quolibet quod est suppositum, & vnū alio

formaliter est suppositum, & alio aliud, verum est dicere quod ibi sunt plura supposita quorū vnū non est aliud, sed de patre & de deo verū est dicendum ipsos dicere de quolibet, quod est suppositum. & alio est pater suppositum, alio autem Deus. Dicit enim Aug. quod pater non est eo pater, quod Deus, ergo verū est dicere quod Deus & pater sunt plura supposita, quorū vnū non est aliud suppositum, & sic suppositum absolutum ponit in numerum cum relatiuis.

8 Ad rationem eorū dicendum quod ab inferiori ad superius licet in creaturis teneat argumentum cum exclusionem, etiam cum termino numerali (vt vnus solus homo currit, ergo vnus solus animal currit.) tamen non tenet in diuinis. Et causa diuersitatis est, quia in creaturis nunquam aliquid vnū numero est in distinctis suppositis. Est ideo pluralitatis suppositis plurificatur ea quæ sunt in eis, propter quod quicquid excludit vnū suppositum excludit quicquid est in supposito cum sit aliud natura & supposito, sed in diuinis inuenitur aliquid vnū & idē numero pura essentia diuina communis pluribus suppositis. Et illi potest imponi nomen quod importat indiuiduum vna sola persona creat, ergo non est aliud suppositum absolutum in diuinis ratione cuius oportet ponere quod non omnes personæ diuine constituuntur relationibus.

9 Alia causa propter quā potest poni quod personæ diuine non distinguuntur relationibus potest esse si personæ diuine quantūcumque relatiue constituentur per modos absolutos qui præsupponerentur relationibus vt quidam dicunt, nec probat directe conclusionem istam, sed solum indirecte dicentes quod eadē inconuenientia quæ sequuntur ad positionem istam sequuntur ad illa que ponit personæ distingui per relationes & cōsimiliter euaduntur. Nos enim ponimus personæ diuinas distingui relationibus ad euadendum compositionem in diuinis quæ esset absoluti cum absoluto & ad euadendum distinctionem essentia diuina propter hoc quod opposita relationes possunt esse in diuina essentia tanquam in fundamento propter eius infinitam fecunditatem. Omnino autem simile potest dici de modis absolutis quia cum sint modi rerum, & non quidditates non faciunt compositionem cum essentia. Rursus plures tales modi possunt fundari in essentia vna sicut plures relationes, quare per tales modos personæ diuine, possunt distingui & constitui.

10 Istud autem esset expresse contra intentionem sanctorum & contra determinationem ecclesiæ. Contra intentionem sanctorum, quia dicit Aug. de Trin. quod illa quæ sunt propria personis dicuntur relatiuæ. Sed nihil est proprium personis magis quam illa per quæ constituuntur & per quæ distinguuntur, distinguuntur igitur illa sunt relatiua non modi absoluti. Item Aug. ibidem dicit quicquid est ad se secundum substantiam dicitur & de omnibus personis prædicatur singulariter & non pluraliter, sed modus absolutus ad se dicitur ex quo absolutus est, ergo si quis talis est in diuinis dicitur secundum substantiam, & prædicatur de omnibus personis simul sumptis singulariter, & non pluraliter, per nihil autem tale possunt distingui personæ, quare &c. Item dicit Damasc. lib. i. ca. ii. quod in diuinis omnia sunt vnū præter ingenerationem, generationem, & processionem, ergo per modos absolutos non est distinctio, determinatio etiam ecclesiæ idem habet quæ dicit expresse personæ distingui solū relationibus. Item hæc positio est contra rationem, primo, quia isti qui ponunt per tales modos personæ distingui deberent istos modos in speciali nominare vt sciremus qui sunt, qualiter vocantur, sicut nos qui ponimus eas distingui per relationes expresse dicimus personæ diuinas distingui per paternitatem & filiationem & per processionem quod tamen non faciunt, vnde videtur esse purū figurum ponere tales modos. Item si per tales modos absolutos personæ constituuntur, aut isti modi differunt secundum speciem, aut secundum numerum solum, non secundum speciem quia omnis talis differentia si sit incommunicabilis in eodem supposito includit oppositionem, nulla autem oppositio potest esse in

in diuinis nisi oppositio relationis, ergo si isti modi modi differunt specificè, necesse est quod differant solum respectu & non absolute.

11 Quod autem nulla oppositio possit esse in diuinis præter relatiuam patet, quia in omni alia oppositione vni extremum est imperfectius altero vt in contradictione negatio est imperfectior affirmatione & priuatio imperfectior habitu, & in contrarietate vnum contrariorum est imperfectius altero. In sola autè relatiua oppositione extrema possunt esse æqualiter perfecta. Cum ergo in diuinis non sit dare aliquid imperfectius alio, sequitur quod in eis non potest esse oppositio nisi relatiua, ergo si illi modi differunt secundum speciem, necesse est quod differant solum relatiuè. Si autè dicatur quod differunt secundum numerum. Contra illud quod de se est plurificatum, non est vnum secundum speciem. In hoc enim differunt species à genere, quia licet forma specifica possit per aliud plurificari, tamè in ipsa de se non est plurificata, forma autem generis de se est plures nec tota potest in vno inueniri, sicut forma speciei, quicquid autè est plurificatum in diuinis de se est plurificatum & non per aliud, & maxime prima distinctio vt sunt illa quæ constituunt personas & distinguunt, ergo tales modi si sint cum sint plures, non sunt vnius speciei differentes solum secundum numerum. Nullo ergo modo possunt personæ diuine distinguui vel constitui per modos absolutos, quod concedendum est, quia secundum Aug. & oēs sanctos qui vsq; nunc fuerunt in diuinis non sunt nisi duo. scilicet essentia & relatio. Sed distinctio personarum non potest esse per essentiam quæ est vna numero in omnibus suppositis, ergo necesse est quod fiat per relationes.

12 Sed vterius cū relatio possit dupliciter nominari, vno modo per modum proprietatis vt paternitas & filiatio alio modo per modum actionis vt generare & generari, spirare & spirari, ideo videndum est sub qua ratione distinguantur, vtrū sub ratione originis, an sub ratione proprietatis. Et quicquid horum detur non est differentia in re cū sint omnino idè realiter paternitas & generare, filiatio & generari. Sed in proprietate locutionis differentia.

13 Quantum autè ad hoc est duplex modus dicendi. Quidam dicunt quod distinctio personarum est per origines non per relationes sub relatione relationis. Quorum ratio talis est, relationes secundum modum intelligendi sequuntur suum fundamentum, sed paternitas & filiatio fundantur super origines, ex eo enim aliquid est pater quia genuit, & filius quia generatus est: ergo distinctio relationum sequetur distinctionem originum. Per prius ergo intelligitur personæ distinctæ per origines quod per relationes vel proprietates. Huic sententiæ videtur concordare Aug. de fide ad Petri circa principium, vbi dicit, quod quia aliud est genuisse quod natum esse, & aliud est natum esse quod processisse, manifestum est quoniam alius est pater, alius filius, & alius spir. sanctus. Et Damas. lib. 1. ca. 2. dicit quod in diuinis omnia sunt communia præter ingenerationem, generationem, & processione.

14 Alii dicunt quod magis proprie debet dici quod personæ diuine distinguuntur & constituuntur per proprietates & relationes quod per origines. Et hoc dicitur probabilius. Cuius ratio est quia constitutio rei in se, & eius distinctio ab alia debet fieri per id quod rei intrinsicè (sicut in creaturis fit per formam) sed origines non significatur, vt formæ intrinsicæ personis, sed potius vt actus progrediens à persona in personam, quasi via media, sicut generatio significatur vt via, vel actus procedens à generatione in genitum, ergo per origines non debent dici personæ constitutæ vel distinctæ, sed per illa quæ sunt in personis tanquam formæ intrinsicæ & immanentes. Et hæc sunt relationes vel proprietates quæ se habent ad personas aliquo modo sicut formæ ad totum constitutum, quare &c. Aug. autè & Damas. in præallegatis autoritatibus dicunt personas distinguui per origines attendentes ad rem & non ad proprietatem locutionis.

15 Sed adhuc restat dubium cum paternitas vel filiatio possit considerari vt proprietates, vel vt relatio, sub qua ratione habet constituere & distinguere, vtrū sub ratione relationis, an sub ratione proprietatis. Et videtur quibusdā quod sub ratione proprietatis. Et nullo modo sub ratione relationis: Tum quia relatio vt relatio supponit fundamentum vt prius arguebatur. Et sic relationes diuinae suppo-

nunt origines & per consequens personas distinctas. Tum quia relatio vt relatio non habet nisi referri ad illud cuius est relatio & non constituere. Sed hoc fit inquantum est proprietas & sic præintelligitur emanationibus.

16 Sed istud non videtur bene dictum, quia ratio relationis, & ratio proprietatis vel distinguuntur ex supposito, vel se habent sicut superius & inferius. Si distinguuntur ex supposito, tunc est falsum dicere quod persona diuina constituitur per aliquid sub ratione proprietatis, quia si ratio proprietatis opponitur rationi relationis ratio proprietatis est ratio absoluta, sed impossibile est intelligere verè quod suppositum diuinum sit constitutum per aliquid sub ratione absoluta, ergo &c. Si verò se habent sicut superius & inferius, ita scilicet quod proprietates dicar aliquid commune ad formam absolutam & relatiuam, sic iterum falsum est dicere quod ratio proprietatis sit ratio constitutiva & non ratio relationis, quia superius licet non includat actu suum inferius, tamen non excludit ipsum nisi ponendo oppositum. Sicut esse animal licet non includat rationale, tamen non excludit nisi ponendo irrationale. Si ergo ratio proprietatis sit aliquid commune ad rationem relationis & formam absolutam, ponendo quod ratio proprietatis sit ratio constitutiva non excluditur per hoc quod ratio relationis non sit constitutiva, nisi ponendo quod aliquid sub ratione absoluta sit constitutum quod non possit esse verum in diuinis. Excluditur autè per hoc quod dicitur quod relatio sub ratione proprietatis est constitutiva personæ & non sub ratione relationis, ergo malè. Item in creaturis non fit hæc distinctio quod rationale vel quæcunq; forma absoluta sit constitutiva alicuius rei vt proprietates, & non vt forma absoluta, & si fieret falsa esset: ergo in diuinis non debet dici de paternitate vel quacunq; relatione quod sit constitutiva personæ inquantum proprietates & non inquantum relatio: Et si fiat falsa est, probatur consequentia, quia proprietates est aliquid commune ad relationem, & ad formam absolutam, propter quod æquè dicitur fieri descensus sub ipsa ad vtrūque siue affirmando, siue negando. Item secundum Philo. 2. Phys. sicut effectus communis requirit causam communem sic effectus particularis causam particularem. Et hoc secundum omne genus cause. In diuinis autè cum non sit proprie causa & effectus, Est tamè ibi principium, & quod est ex principio constituens formale & constitutum.

17 Igitur sicut se habet proprietates in communi in constituendo suppositum in communi, sic talis proprietates ad constituendum suppositum. Si ergo ratio proprietatis est ratio constitutiva suppositi, oportet quod ratio proprietatis absoluta vt absoluta est sit constitutiva suppositi absolute, & quod ratio proprietatis relatiua, vt relatiua est sit constitutiva suppositi relati. Et ita relatio sub ratione relationis habet aliquod suppositum constituere & per consequens distinguere ab alio supposito.

18 Ad rationes alterius opinionis quæ ponit quod ratio relationis non potest esse constitutiva, respondendum est. Cum enim primo dicitur quod relatio supponit suum fundamentum concedatur, & cum dicitur quod origines sunt fundamentum relationum diuinarum: dicendum quod falsum est, & qui intelligit sic, falsum intelligit. Origines enim non sunt nisi ipsæmet relationes, à quo aliud & quod ab alio & non fundamentum earum. Illud enim est essentia secunda: vnde qui præintelligit personas originibus aut originibus relationibus malè intelligit. Sed simul intelligenda est persona constituta cū sua relatione & origine.

19 Ad aliud cū dicitur quod relatio inquantum relatio nihil habet nisi referre, conceditur. Et cum dicitur ergo non habet constituere in esse, verum est nisi illud esse sit referri, sed si tale esse sit referri, qua ratione habet referre, eadem ratione habet dare tale esse, scilicet relatum, esse autem personale in diuinis est relatum. Et ideo relatio sub ratione relationis potest constituere personam diuinam in esse personali.

20 AD PRINCIPALES rationes respondentum est: ad primam cum dicitur quod nulla forma distinguit nisi secundum suum genus, dicendum quod res vnius generis bene potest esse distincta rei alterius generis, vnde quantitas & qualitas distinguunt substantiam, sed nunquam distinguunt nisi secundum suum genus, quantitas quædè quantitatiue, qualitas verò qualitatiue: & eodè modo

relatio distinguit supposita substantiæ, sed non distinguit ea substantialiter sed tantum relatiue. Ad secundum dicendum qd prima distinctio fit per prima entia, sed in diuinis absoluta non sunt secundum rem priora relationibus, nec conuerso vt probatum fuit prius. Et ideo distinctio personarum fit per prima entia dato quod fiat per relationes. Vbi aduertendum est quod cum omnis pluralitas reducatur ad vnitatem prima pluralitas debet esse minima, quia minus distat ab vnitatem. Et ideo distinctio personarum que est prima, fit per relationes compositibiles in eadem essentia. Et ob hoc est minor quacunque distinctio que fit per absoluta.

QVÆSTIO SECUNDA. Virum relationes constituentes personas sint reales.

Tho. 1. q. 23. ar. 1.

DEINDE queritur, de relationibus constituentibus personas, virum sint reales. Et videtur qd non, quia sicut Deus Pater est Pater Filii per generationem, ita est Pater noster per creationem. Deuter. 32. Nunquid non ipse est pater tuus &c. Sed paternitas in Deo respectu nostri non ponitur esse relatio realis, ergo nec paternitas in Deo respectu Filii geniti erit relatio realis.

Item relationes que sequuntur operationem anime sunt tantum relationes rationis, sed omnes relationes diuine sequuntur operationem anime, intellectus & voluntatis, quia omnes processiones diuine sunt per modum intellectus vel per modum voluntatis, ergo &c.

Item Boetius dicit in libro suo de trin. quod relatio Patris ad Filium & vtriusque ad spiritum sanctum est sicut relatio eiusdem ad seipsum, sed hæc est relatio relationis tantum, ergo & illa.

IN CONTRARIUM est, quia distinctio in diuinis non est nisi per relationes. Si ergo in diuinis non essent relationes reales sequeretur quod non esset ibi realis distinctio, quod est hæresis Sabelliana.

RESPONSIO. Videnda sunt duo. Primum est de realitate relationum diuinarum. Secundum est de numero, & sufficientia notionum, relationum, proprietatum personarum, & proprietatum personalium.

QVANTVM ad primum patet qd relationes diuine sunt reales, & hoc sic, vbi cūq; ex natura fundamenti est mutua & necessaria habitudo coexistentie inter extrema relata, ibi est relatio realis ex vtraque parte (hoc supponatur nunc, quia probabitur infra dist. 30.) sed in diuinis ex natura fundamenti, scilicet essentie diuine secundum est mutua & necessario habitudo coexistentie inter extrema relata, & hæc tenemus fide: ergo in diuinis sunt relationes reales ex vtraque parte. Sed de hoc nunc satis, quia infra plene declarabitur vnde habet relatio quod sit realis, & tunc plenius patebit quod nunc dicitur.

QVANTVM ad secundum sciendum qd idem secundum rem, vt paternitas, potest dici notio, relatio, proprietates personarum, & personalis proprietates diuersis tamen rationibus. Dicitur enim notio in quantum est principium deueniendi in notitia patris. Relatio autem dicitur in quantum per eam pater dicitur respectiue ad filium, proprietates vero personarum in quantum vni personarum conuenit, proprietates autem personalis dicitur in quantum est constitutiua personarum patris.

His suppositis sciendum qd quinque sunt notionem & quatuor relationes, quatuor proprietates personarum, & tres proprietates personales. Notiones sunt hæc ingenitum vel innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio. Quarum sufficientia potest haberi hoc modo. Ad hoc enim qd aliquid sit notio tria requiruntur, vnum est qd dicat aliquid speciale tantum vni personarum conueniens, vel duabus, ita qd non tribus, quia per ea que oibus personis conueniunt nulla persona potest quantum ad personalia sufficienter notificari. Secundum est qd pertineat ad originem, quia personarum distinguitur relationibus originis. Tertium est qd pertineat ad dignitatem, quia persona est hypostasis, distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Notio ergo cum pertineat ad originem potest significari affirmatiue vel negatiue. Si affirmatiue vel dicitur secundum rationem principii vt a quo aliud, vel secundum rationem eius quod est a principio vt quod ab alio, & vtrunq; horum dicitur se-

cundum quod sunt due origines in diuinis, scilicet per modum naturæ & per modum voluntatis. Notio ergo que dicitur secundum rationem principii in origine per modum naturæ est paternitas, que autem dicitur secundum rationem eius qd est a principio est filiatio. Similiter in origine que est per modum voluntatis notio que dicitur secundum rationem principii vocatur communis spiratio, que dicitur autem secundum rationem eius, quod est a principio vocatur processio. Si autem significetur negatiue, vel negatur ratio principii vel ratio eius quod est a principio. Si negatur ratio principii non pertinet ad dignitatem. Non enim est alicuius dignitatis non esse principii alterius. Et ideo non potest esse notio, propter qd spiritus sanctus non habet aliquam notionem qua dicatur non esse principii alterius personarum. Si autem negatur ratio eius quod est a principio sic est notio patris qua dicitur ingenitum vel innascibilitatem, & sic habemus quinque notionem prius enumeratas.

Adiungunt autem quidam sextam notionem, scilicet inspiratum quod est notio filii. Quod probant sic, Dignitatis est in omni persona non producti illa productione per quam aliam producit, sed filius per spirationem producit spiritus sanctus, ergo esse inspiratum in filio pertinet ad dignitatem, & sic est eius notio minor patris, sed maior probatur, quia ingenitum ideo est dignitatis in patre & eius notio, quia negatur eum producti quacunque productione, eo qd pater producit omni productione. Ingenitum enim prout est notio patris, est idem quod non esse ab alio, vt patet per Aug. 15. de Trin. Et ad Oros. ca. 2. Et habetur di. 13. c. 5. Nec est inconueniens, vt dicunt addere sextam notionem, quia ab initio non assignabantur quinque. Ingenitum enim non fuit inuentum tempore Ambrosii vt patet di. 23. c. 4. Nec spiratio communis tempore Magistri sententia, vt patet di. 29. c. 17. Et pari ratione potest nunc sexta addi propter causam que dicta est.

Sed istud non videtur verum, quia cum nihil producat seipsum, vt habetur. 1. de Trin. in hoc quod est producere vel esse producentem includitur non esse productum illa productione, nec est alterius dignitatis non esse productum tali vel tali productione, sed esse producentem secundum illa vbi hæc concurrunt. Et ideo non est alia notio. Et quod dicitur de ingenito quod est notio patris, verum est: sed ingenitum non dicitur patrem non esse productum illis productionibus, quibus producit, quia tunc ingenitum idem esset, quod non esse a seipso. Sed dicitur patrem non esse productum ab aliqua priora persona & priori productione, & sic dicitur pater ingenitus quia non est ab alio.

Quod etiam patet ex alio, quia de ratione primi sunt duo, scilicet post quod alia, & ante quod nihil. Pater ergo secundum quod est prima persona potest notificari his duobus modis, scilicet positive, quia ab ipso sunt alia & sic quasi post ipsum, quia in diuinis non est prius & posterius proprie, & sic notificatur per paternitatem & spirationem actiua. Alio modo negatiue, quia non est ab alia persona, & sic notificatur per ingenitum quasi per hoc qd nihil est ante ipsum, etiam ergo nulla notio est personarum productis qd non sit producta illa productione qua producit. Quod etiam probatur aliter, quia per idem est aliquid quod est, & non est suum oppositum (sicut per idem est aliquid album, & non est nigrum) sed productis & productum secundum vnum & eandem productionem opponitur relatiue, ergo per idem notificatur, vt productis & vt non productum & non per aliud vel alia notio.

Quod autem dicitur qd ingenitum non fuit notio patris tempore Ambrosii dicendum quod falsum est, sed Ambrosius noluit uti propter calumnia hæreticorum. Vel dato qd non esset inuentum, res tamen nominis erat sufficiens ratio distinctioe notionis, non sic autem est de inspirato. Per idem autem respondendum est ad id de commune spiratione, quia res nois erat sufficiens ratio notionis qua etiam magister circuloquitur. Per hoc qd dicitur patrem & filium esse vnum principium spiritus sanctus. Sunt ergo quinque notionem solum. Harum ergo quatuor sunt relationes, scilicet paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio. Innascibilitas enim non est relatio nisi per reductionem & modo quo negatio ad affirmationem reducitur. Sufficiens autem istarum relationum iam patet ex dictis, quia cum non sint in diuinis nisi due origines, & secundum quamlibet sunt tantum due relationes, scilicet principii & eius quod est a principio: consequens est qd non sint nisi quatuor relationes, scilicet que dictæ sunt & quatuor proprietates personarum.

d. 12. q. 1.

Sup. d. 11. q. 2. m. 8.

Tho. 1. q. 23. ar. 1.

q. 2. 3.

d. 30. q. 3.

Tho. 1. q. 23. ar. 1. 2. 3. 4.

Fide Tho. 1. q. 23. ar. 1. ad 4.